



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Quomodo homo plane immortalis factus fuerit. Pelagius condemnatur.  
Colloquium XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

metiaris, longum videri potest: verum ante Deum ne vnum quidem diem constituit, sicut antea fuit declaratum.

*Quomodo homo planè immortalis factus fuerit. Pelagius condemnatur.*

## COLLOQUIVM XXXIII.

**N**VNC etsi homo immortalis THEO fuerit, tam propter animam, quã corpus ipsũ, magna tamẽ inter duas has immortalitates differentia fuisse nobis videtur. Animæ enim illa perfecta & absoluta erat, naturalis, & exceptione carẽs: corporis verò cũ Si data, hoc est, si Adã Deo morem gereret & præcepto diuino obediret: & ideo D. Augustin⁹ quæstionem hanc tractans, ait, Homo immortalis erat, quia mortem euitare poterat: verum immortalis per beneficium ac priuilegium à suo Creatore acceptũ, & mortalis propter naturam corporis fabricati ex partibus contrarijs, & causas mortis generantibus: ad quã infirmitatem corrigendã Deus animæ vim super-

naturalem indidisset, cūq; alijs grā-  
 tijs cœlestibus partem ei ligni vitæ  
 inseuisset, quæ corpus cōpegisset, &  
 nodū pacis immortalē inter has qua-  
 litates sua natura seditioni dome-  
 sticæ studentes, & bello intestino  
 mutuò se conficere cupiētes conti-  
 nuisset: si homo fidē ei datā nō vio-  
 lasset. Atq; hoc illud est quod Deus  
 ei exprobrauit, & ob oculos statuit,  
 quando condēnationis sentētia per-  
 lata durā hanc conclusionē subiun-  
 xit, *puluis es & in puluerē reuerteris*,  
 ac si dixisset, *Fecerā te ego, quæ libe-  
 ralitas mea fuit, omnibus numeris  
 immortalē cum altera naturæ tuæ  
 pars puluis esset & mortis legibus  
 subiecta, nūc verò quoniā priuile-  
 gijs te meis indignū ostendisti, mā-  
 datū meū neglexisti, iure tuo te spo-  
 lio, sicutque antea eras mortalem te  
 facio, corpus caducum, & putrefa-  
 ctioni obnoxium relinquo, animam  
 immortalē esse permitto. Atque in  
 hunc modum ait D. Augustinus,  
 mors poena tantum Adami fuit cō-  
 stituta & imposita contra suam na-  
 turam priuilegiatam immortalita-*

*Gen. 3.  
19.*

*Aug. lib.  
13. de ci-  
uit. Dei  
Mors pa-  
na Ada-  
mi & fi-  
liorū suo-  
rū natu-  
ralis pos-  
sessio.*

te, ad delicti commisti expiationē:  
 filijs autem suis non modo poena,  
 sed etiam naturalis est, quo illius  
 causas in natura corruptibili cir-  
 cumferunt, quæ corpus est, priuile-  
 gio paterno dudum perditō spolia-  
 tum: planè quemadmodum filij pa-  
 tre nati cui ob flagitiū nobilitas fuit  
 ablata, poenā hanc sufferunt & ple-  
 bei natura sunt, cū parens forte fue-  
 rit & punitione tantum, & animad-  
 uersione. Veritati sacrarū literarū  
 proinde reclamare, hoc est, statuere  
 hominem istiusmodi fuisse, qualis  
 nūc est, & eadē ratione mortis legi-  
 bus illigatū extitisse. Repugnat hoc  
 fidei Ecclesiæ Dei, & hæresis est, id  
 credere, quod quondam in concilio  
 Mileuitano anno supra quadringē-  
 tesimum sexto celebrato, fuit con-  
 demnatum, cui D. Aug. interfuit, &  
 i. cap. cōdemnationis verba hæc ha-  
 bet. *Quicumq; dixerit Adam primum*  
*hominem mortalem factum, ita ut*  
*sive peccaret, siue non peccaret, mo-*  
*reretur in corpore, hoc est, de cor-*  
*pore exiret, non peccati merito, sed*  
*necessitate natura, anathema sit.* *Milenis.*

*Error  
 Pelagij  
 condem-  
 natur.  
 Concil.*

Ecce tibi verba concilij, & decretū  
Ecclesie, quę veritatis supremū Par-  
lamentum est.

*Deum hominis corpus immortale fe-  
cisse.*

COLLOQVIUM XXXIV.

THEOL.

**F**ACTYRVS nunc operæ pretiū  
mihi videor, si huic materiæ  
non nihil inhæsero, tum quo  
luculentiorē instructionem fi-  
dei nostræ tam in Creatoris nostræ  
liberalitate cognoscenda, quam in  
nobismet ipsis probè perspicendis,  
accipiamus, & euidenter pro-  
fusus demostremus, supremā illam sapien-  
tiam, quæ disponit omnia suauiter,  
in mensura, numero, & pondere, si-  
bi maximè conuenienter hominem  
immortalem modo supradicto pro-  
creasse. Nam cum in omni suorum  
operum productione, inter materiā  
& formam, corp<sup>o</sup> & animā pulcher-  
rimam planè symmetriam, & ad cu-  
iusq; creaturæ finem consequendum  
accommodatissimam obseruasset,  
instruens materiam qualitatibus  
& in-

*Sap. 8. 1.  
11. 21.*

*Proportio  
forma ac  
materia  
in omni-  
bus crea-  
turis.*